

16

DISSERTATIO IVRIDICA
DE 29
CONATV DELINQVENDI.

QVAM
AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AD OBTINENDVM
DOCTORIS GRADVM
DIE VIII MAII MDCCXCIX

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

AVGVSTVS G VILIELMVS
HEIDEMANN,
STARGARDIA - FOMMERANVS,

HALAE,

TYPIS I. C. HENDELIANIS.

LIBERIA LATEO LIBRIZIO

HS

COMITA DULINGAVNDI

GOY

STATUTUM A

LIBELLUS TITULATISSIMUM OSWALDI

AC CIRINIANAE

DOCTORIS EGDAMI

HIE ANI MLI MCCCCXII

LIBRIZIO LIBRIZIO

GOY

LIBELLUS GALINIMYS

LIBRIZIO LIBRIZIO

EDWARDUS BURGESS

GOY

EDWARDUS BURGESS

V I R O
GENEROSSISSIMO ILLVSTRISSIMO
A S C H E I B L E R,
POTENTISSIMI REGIS BORVSSORVM
A SVPREMIS IVSTITIAE ET SVMMI TRIBVNALIS
CONSILIIS INTIMIS
NEC NON
PRAESIDI SVPREMI COLLEGII MEDICI ET SANITATIS
VT ET
DIRECTORI COLLEGII MEDICO - CHIRVRGICI,

P A T R O N O
S V O A T Q V E F A V T O R I
AD CINERES VSQVE PIA MENTE COLENDO
HOCCE MONVMENTVM
MAXIMAE REVERENTIAE ANIMIQVE
DEVOTIONIS
SACRVM ESSE VOLVIT
A V C T O R.

A

S E C T I O P R I M A.
DE
N O T I O N E C O N A T V S
D E L I N Q V E N D I.

§. 1.

Conatus delinquendi, si rectam eius notionem confiscere mihi videor, supponit, me primum de conatu ipso loqui, tuncque delicti explicare essentiam, quibus factis fines non amplius erunt obseuri. De singulis igitur tractabo, primumque de conatu loquar.

§. 2.

In definiendo autem conatu quaedam mihi occurunt difficultates. Plura invenio verba, quae primo intuitu sibi aequalia videntur, magnopere autem diversa sunt. Invenio *volitionem*,

onem, propositum ac conatum, quae omnia ad voluntatem se referunt. Voluntas hominis mihi videtur esse facultas eius, actiones et ex ratione et contra eam committendi (a). Quia facultate si utor, aliquid volo. Utendo voluntate adest volitio. Volitio, cuius obiectum ab arbitrio nostro dependere credimus, appellatur propositum (b). Quod propositum igitur est species volitionis, ac eius nomine iam comprehenditur. Volitio obiecti, ad quod conficiendum actus ad hoc idonei commissi sunt, si haecce confectio non est perfecta, dicitur conatus.

§. 3.

Conatus essentia igitur supponit, I. volitionem adesse. Qua qui caret, conari nequit. II. actus quosdam, aliquid conficiendi causa, esse commissos. Tales actus, si nondum adfuere, cogitatio rei quidem aut volitio eius, sed nunquam conatus locum tenere potest. Sed ne male me intelligas, quaeso. Cogitationem ipsam nunquam esse conatum, non contendi. Quae cogitatio si fit eo consilio, ut per eam aliquid perficere velimus, conatus esse potest. III. actus ad conficiendum esse idoneos. Si animo aliquid efficiendi actus in hoc ini-

(a) Klein's Grundsäfe der natürlichen Rechtswissenschaft. Halle 1797. §. 7.

(b) Hoffbauer's Naturrecht. Zweite Auflage. Halle 1798. §. 7.

2

inidonei sunt electi, conari quidem voluisti,
sed non conatus es. Non est conatus rei, sed
quasi conatus huius conatus. Est conatus,
qui non successit, (ein misslungener Versuch) ergo
re vera nullus. Si quis igitur animo occidendi
alteri cibum, medio innoxio mixtum, offert, co-
natus beneficii non adest (a). IV. *confectio-*
nem obiecti, quam voluisti, nondum esse
peractam. Si animo occidendi homini multa
infldis vulnera, tuncque credis, eum esse ne-
catum, ac solum, hac cogitatione ductus, abis,
homine illo casu non mortuo, homicida non
es, sed solum conatum homicidii commisisti.
Confectio obiecti enim, hocce exemplo homi-
cidii, non est peracta (b). Si autem obiecti con-
fectio

(a) Klein's Annalen. 4ter Band. Zweite Aufl. Berlin
und Stettin 1796. pag. 59. Misslungener Versuch der
Anna Susanna gebohrne Wachtel, ihren Ehemann den
Feldhälter Gaff durch Quecksilber zu vergiften. Caius
in fine pag. 65. recte dicitur: Als Giftnischerin aber
kann sie nicht gestraft werden; ja sie kann nicht einmal
mit der Strafe der zwar unternommenen, aber nicht
ausgeführt Giftnistung belegt werden. Denn diese
würde voraussetzen, daß die Gastmahl Anstalten gemacht
habe, ihrem Ehemanne ein wirkliches Gifft beizubrin-
gen. Dieses ist aber in der That nicht geschahen.

Vide etiam C. C. C. art. 178, quo dicitur: Item
so sich jemandt eyner misschatt mit eischen scheinslichen
werken, die zu volnbringung der misschatt dienstlich
seyn mögen, u. s. w.

(b) Disensire video a Perillatri KLEINIO, qui in libro
suo: Grundzüge des gemeinen deutschen peinlichen Rechts
uebst

fectio est peracta, non amplius adest conatus, sed actio consummata, etsi forsitan non omnia, quae voluisti, adsint (a). Porro ex eodem sequitur proposito, eum, qui confectio-
nem obiecti majoris noluit, hacce etiam non peracta, conatum non commisso, quod etiam probare posses, si ad I respicis (b).

§. 4.

Conatus essentia breviter exposita, me ad alteram thematis mei partem, nempe delictum, adire oportet. Quod ut melius possim, quae-
dam de hominis actionibus sunt praemittenda.

Ut omnem evitem discordiam, profiteri meum
est, me abstinere omni a distinctione, quae apud
Romanos inter delictum ac crimen locum tenuit.
Qua de re si quid legere cupis, aideas ANTO-

NIVM

nebst Bemerkung der Preussischen Gesetze. Zweite Ausg.
Halle 1799. §. 145. crimen perfectum, quod ego con-
tum appellavi, vollendet nominat. Sed Vir Perill., de
jure criminali maxime meritus, eo in capite de impu-
tatione loquitur, hancque ob causam perfecte effectum
ac intentionem secernit, atque crimen perfectum ratione
facti intenti vollendet nominat. Quod ad me attinet,
in constitunda notione solum ad id, quod adest, nem-
pe ad effectum, respicere meum est. Dissensus igitur
nullus reperitur.

(a) Kleinschrod's systematische Entwicklung der Grunds-
begriffe und Grundwahrheiten des peinl. Rechts. Erlang.
1794. Th. I. §. 33,

(b) Kleinschrod l.c. §. 34.

NIVM MATTHAEVM de criminibus. Neap.
1772. in prolegomenis cap. I. § 1. Similiter non
loquor de delictis juris canonici. Philosophice
delicti essentialia inquirentem Judaismus, aliaque
delicta similia statim prosternunt. De crimen
seu delicto, quatenus in jure criminali occurrit,
sermo erit.

§. 5.

Actio est effectio mutationis, igiturque
magnopere differt ab effectu. Sed nihilominus
quidam effectus essentialiter ad actionem per-
tinet; sine effectu enim effectio cogitari nequit.
Effectus, qui ad actionis essentialiam non perti-
net, dicitur *sequela* (^a). Effectum essentialiem
a sequela secernas, quam maxime a te peto;
multum enim commodi tibi ex eo oritur. Sae-
pissime etiam una eademque actio diversa rati-
one diversas constituit actiones, idemque effec-
tus ratione alterius dicitur effectus essentialis,
ratione alterius sequela. Quod ut dijudicare
possis; observes, unam actionem solum effec-
tum essentialiem unius generis, sed forsitan
plures sequelas producere posse. Simulac igi-
tur effectus diversi generis adsunt, diversae
actiones etiam locum tenent. Exempla illu-
strant rem. A telum ignivomum explosit, quo facto
B est occisus, aedes C flamas conceperunt,
inque aedibus D est necatus ac E vulneratus.
In facto unam invenis actionem, nempe ex-

plo-

(a) Kleinschrod l. c. Th. I. §. 33.

plosionem teli ignivomi, cuius effectus essentialis est ictus, cuius sequelae autem mors B, incendium C, mors D et vulnus E sunt. Sed quia omnis effectus non unius est generis, tot yides actiones, quot genera effectus. Habes explosionem teli ignivomi, occisionem B, incensionem C, occisionem D, ac vulnerationem E. Sed ne male me intelligas. Si dico, unam actionem solum effectum essentiali unius generis producere posse, non contendo, omnem effectum unius generis etiam esse essentiali; e contrario solum tantum, quantum ad ideam effectioonis sufficit. Incensionis effectus essentialis est incendium. Si domus flamas concipit, effectus essentialis, nempe incendium, adest. Incendium totius domus est sequela incensionis.

§. 6.

Actiones hominis sunt diversae. Homo enim est ens, ratione ac corpore praeditum. Si solum esset ens rationale, actiones eius absolute rationales essent. Ex coniunctione animi cum corpore, quo tanquam brutum animal videtur, evenit, actiones eius contra rationem esse posse. Ratio ac corpus autem influxum habent reciprocum, quare sit, causas quasdam, quae corpus tangunt, simul usum rationis impidire, aut plane opprimere. Homo, si tali modo est coercitus, ut in agendo ratione non impedita ut nequeat, caret libertate, quod quidem triplici modo fieri potest. Primum, si coa-

coactio eum ad agendum compellit. *Coactio* enim est *applicatio mediorum externorum*, quibus aliquis secundum naturam suam resistere nequit, *eo fine facta*, ut eum ad agendum adigamus. *Actio*, tali coactione confecta, dicitur *coacta*, cui opposita est spontanea, qua coactio deest (a). Secundo, si coactio quidem non adest, tamen natura hominis physica, seu corporalis, necessario quaudam requirit actionem. Talem appellamus *physice necessariam*, cui opposita est *actio physice non necessaria seu accidentalis* (b). Tertio, si absente etiam coactione ac necessitate physica tamen in statu sumus, quo corpus rationis usum omnimodo oppressit, e. g. in ebrietate, insania, etc. *Libertas agentis* igitur est *facultas eius, qua in agendo ratione nullo modo impedita uti potest*. *Actio libertate confecta* dicitur *libera*.

§. 7.

Actionis indolem inquirens hominem, si non libere agit, tanquam ens rationale considerare nequit, quia rationis usu caret. Libere agens tanquam ens absolute rationale contemplandus est; corpus enim nullo modo eum impedit. Actiones entis absolute rationalis nunquam contra rationem esse possunt. Libere agens igitur, qui contra rationem agit, sibi contradicit.

Cautio

(a) Hoffbauer's Naturrecht. §. 2.

(b) Hoffbauer l. c.

Cante dixi, hominem libere agentem tanquam
ens absolute rationale esse contemplandum, non
eum tale esse. Quod si esset, nullo modo con-
tra rationem agere posset.

§. 8.

Ens rationale, si agit, habet scopum
(3wed.) *Scopus seu finis* enim dicitur, ob
quod ens rationale agit. Ens, quod fines
sibi proponere ac secundum eos agere potest,
dicitur *persona* sensu philosophico. Solum ens
rationale finem habere potest; ergo ens rati-
onale solum est persona. Ens, quod finem
habere nequit, dicitur *res*.

§. 9.

Homo, si ens rationale esse vult, persona
esse debet. (§. 8.) Libere agens, qui non
esset ens rationale, sibi contradiceret. (§. 7.) Ergo homo libere agens personalitatem amitt-
tere nequit, nisi sibi ipsi contradicere vellet.
Necessitas, entis rationalis personalitatem
non contempnendi, dicitur *obligatio*, quam
aliquis erga se ac erga alios habere debet, si
contradictionem evitare vult. Sed obligationi
erga alios tantummodo satisfacere potes, si
per hoc personalitatem tuam non amittis. Per-
sonalitatem tuam enim tollere, tibi contradicit,
ignorique moralice impossibile est: ad impos-
sibilia autem non dantur obligations. Obliga-
tio erga alium, quam illaesa tua personalitate
im-

implere debes, etiam coactione, si eam negas, postulari potest, qua ex re *obligatio coactio-
ni subiecta* (Zwangserbindlichkeit) vulgo *obli-
gatio perfecta* appellatur. Quod si non esset, ens rationale personalitatem amittere, igiturque contradictionem pati teneretur. *Praedicatum
entis, cui respondet obligatio coactioni sub-
iecta*, dicitur *ius*.

Obligatio coactioni subiecta solum in eo con-
sistere potest, ne finem alterius tollamus.
Quod si non facio, contra ius alterius non ago,
sed homo sum iustus, quamquam pessimum ha-
beam animum. Interna igitur iureconsultus non
curat.

§. 10.

*Actio contra ius alterius suscepta voca-
tur laesio, eaque sensu proprio, si actio
est libera, de qua nunc loquar. Quam quis
omnimodo, etiam coactione, averttere potest,
ut ex supra dictis patet. Laesio autem vel est
illata vel instans: coepta enim ex iis est
mixta (a). In laesione illata avertenda indem-
nitate utimur, sed in laesione instanti, an et
quodnam medium, eam repellere, permissum
sit, statim videbimus.*

§. 11.

Laesio instans, ut primum menti praesen-
tatur, nondum laesio videtur, tuncque ad eam
aver-

(a) KONOPACKII Dissert. de juribus ex laesione oriundis.

Halae 1797. §. 6.

avertendam nullum competeteret medium; eo modo enim non esset contra ius. Sed accusarius rem inquirens inveniet, eam iam esse laesionem, ac solum appellari instantem, ob damnum adhuc infectum. Factum nempe, quo quis declarat, se nos laedere velle, ius nostrum non tutum reddit, igiturque contra ius nostrum directum est. Medium quoddam ad eam repellendam nobis competere, dubio caret. *Applicatio mediorum quorundam ad repellendam laesionem instantem dicitur defensio seu preventio in genere* (a). Quae applicatio si eo fit modo, ut laudentem facultate laedendi priorem, dicitur *preventio in specie*. Quod si non est, sed solum malum ei infligo, eum ab actione in posterum arcendi causa, adest *punitio*. *Poena* igitur vocatur *malum*, *quod cum actione iniusta, laudentem ab ea in posterum arcendi causa, coniungitur*.

Me jus puniendi naturale defendisse, vides; sed timore quodam, optime sciens, plures celeberrimos scriptores contrariam tenere sententiam. Omnia, ut credo, de eo dependent, an factum quoddam simul sit laesioni instantis declaratio? Qua de re sic cogito: Volitionem hominis futuram certam nullo modo experiri potes (b).

Omnem

(a) Distinguunt adhuc defensionem ac preventionem, sed ut credo, male. Defensio enim aquae ac preventio in laesione instanti applicantur.

(b) Hoffbauer's *Naturecht*, §. 223;

Omnem connexum, si inter homines tollere non vis, oportet te volitionis declarationem, ex qua quidem solum verisimilitudo prodit, pro certa accipere volitione. Talem declarationem autem ad hancce conclusionem sufficientem esse oportet. Quod ut sit, solum ex modo hominis agendi dijudicare possumus. Qui gladio stricto impiatum in me facit, me occidere vult, quod nemo negat, quamquam verisimilitudo solum adsit. Sed an laesio quaedam jam peracta simul verisimilitudinem laesionis futurae contineat, adhuc quaerendum est. Homo, si ens esset absolute rationale, neminem laedere posset; sed quia sensualitas ejus rationem oppressit, laesio possibilis fit. Sensualitas, ut tales accipiat magnitudinem, necesse est, agentem ex actione exspectare commodum, consilium agentis producens, rationem opprimendi, igiturque sibi ipsi contradicendi. Quod si videt, se commodum attingere non posse, actionem non reiterabit; cur enim sibi contradiceret, cessante omni ad laendum instigatione. Si autem commodum exspectare potest, omnesque res prioris facti adsunt, tunc verisimiliter hancce reiterabit actionem. Nam causa, quae eum antea movit, iterum adest, eaque causa eumdem producit effectum. Quam instigationem ut opprimat, malum ei inferamus necesse est. Sed forsitan haecce res in posterum nunquam aderunt? forsitan! Tibi dixi etiam, omnia secundum verisimilitudinem esse dijudi-

can.

canda. Immo fieri etiam potest, alias res, quae similem producunt effectum, adesse. Quamquam praenobilissimus KONOPACK in dissertatione sua maxime laudanda pag. 19. dicit: „qui autem hujus verisimilitudinis rationem computare, qui propter eam solam malo quem afsicere possumus, quum ejus, quod exspectatur, contrarium accidere posse, ipsa verisimilitudinis notio manifesto comprehendat:“ tamen credo, nos contrarium dicere posse. Ponamus etiam, verisimilitudinem ambabus in partibus esse aequalē, (quamquam credo, eam mea in parte adhuc esse majorem) attamen mea sententia esset praeferenda. Cui enim magis favendum est, homini rationis praecepta veneranti, aut homini ea contemnenti? Alter eorum autem malum pati tenetur, aut laesius insecuritatem, aut laedens poenam.

Timide meā protuli sententiam; sed nunc adhuc mihi primos Germaniae criminalistas KLEINIVM AC KLEINSCHRODIVM adire, et quid hac de re cogitent, inquirere liceat. De reliquis aliquid dicere, tempus non permittit.

KLEINIVS jus puniendi naturale defendit (a), ac ex principio indemnitas derivat. Conditionem nempe juris mei intutam, quam quis pro du-

(a) Klein's Grundsätze des peinl. Rechts. §. 4. u. folgl.

ducit, non male damnum vocat. Remotio hujus conditionis intutae sub nomine indemnitatis venit. Omnimodo igitur Viri celeberrimi opinio-ni assentio. Sed si Vir Perill. dicit: Unter die mittelbaren Folgen der Beleidigung gehort auch der dadurch bewirkte Reiz, sie zu erneuern; er mag bei Andern oder bei dem Beleidiger selbst, aus dem Ge-slingen, oder aus dem fur den Beleidiger unnachthei-lichen Mischlingen der Beleidigung entstanden seyn. Es wird also das Recht des Beleidigers nicht verletzt, wenn er gestihgt wird, das zu thun, zu unterlassen, oder zu dulden, was nothwendig ist, damit dieser Reiz gehoben werde; ei concedere nequeo, factum irrationale apud alios animum idem committendi producere posse. In ipso agente quidem, qui semel, solum commodi ejusdam causa, contra rationem egit ac sibi contradixit, sine dubio, si eadem res adsunt, tali ex actione malum non secum ducenti, animus ad eam reiterandam oritur. In aliis autem non concederem. Exem-
plum contradictionis alium nullo modo ad contradictionem ipsam invitare potest. Meo ex pro-
posito nunc fluit, eum, qui quidem illicite egit,
attamen cautionem dare posset, se hocce nun-
quam reiteraturum esse, plane non esse punien-
dum. Longe alia autem res videtur in repu-blica. Hic, ut securitas fiat major, factum illicitum non exspectatur ac tunc punitur,
sed antea leges jam poenas laudenti minantur,
quod et ad utilitatem et ex voluntate omnium

B

fit.

fit (a). Minae, si non implerentur, inanes essent. Majorem eam securitatem, si attingere cupis, oportet, te malum, quod leges minatae sunt, laedenti inferre, quamquam in futurum de tali laesione quam maxime tibi cavere posset. In republica etiam aliam poenae notionem constituerem, nempe eam esse *malum*, *quod lex rei publicae laedenti minatur, laesiones opprimendi causa.*

KLEINSCHRODIVS, Vir ille, de jure criminali tam meritus, jus puniendi naturale reprobatur (b). Quibus ex causis hoc faciat, statim videbimus. Poenam quidem esse medium ad repellendam laesionem futuram non negat, sed nihilominus eam quam maxime a preventione se jungit. Poena nempe secundum ejus sententiam supponit, adesse leges, quae, ut animum laedendi extinguant, ei malum minantur, qui contra hasce leges ageret, quodque malum apud eum sub nomine poenae venit. Quae poena quidem ob laesionem futuram est constituta, sed solum ob laesionem illatam, sine relatione ad futuram, applicatur. Et si indubitate affirmare posses, te nunquam laesionem reiteraturum esse, tamen esses puniendus, quia aliquoquin lex illa effectum amitt-

(a) *Blein's und Bleinschrod's Archiv des Criminalrechts.* Halle 1799. Ersten Bandes zweit. Thücf. No. V.

(b) *Bleinschrod I. c. Th. I. §. 2. et 3. Th. II §. 1. et seq.*

amitteret. Sed cur esses puniendus? Ut alii absterreantur ab hac actione, videntes legem non solum minari, sed etiam poenam adducere. Igitur tu es medium finis alterius? Quod es. set (a). Tu enim actione tua animum laedendi in altero non produxisti, ut antea jam dixi, igiturque non teneris aliquid pati ad eum repellendum. Alia autem est res, si plures pactum fecerunt, se tales leges ob finem ante dictum observare velle; sed tunc adasset respublica. Consensio igitur cum KLEINSCHRODIO, poenam, quam definit, extra rempublicam locum non tenere, nam notio poenae in republica existens, quam antea protuli, omnimodo sententiae Viri, maxime venerandi, assentit. Omnis dissensus igitur solum oritur, quia in §. aliam constituit poenae notionem. Sed de verbis non sit certamen.

§. 12.

Si poena adest, etiam lex poenalis, seu lex, qua poena constituitur, sive sit naturalis, sive positiva, locum tenere debet. *Actio contra legem poenaem suscepta* dicitur *delictum*.

B 2

Cau-

(a) KLEINIVS quidem in libro: Archiv des Criminalrechts, Ersten Bandes drittes Thiel. No III. contrarium dicit. Sed primum de poena in republica loquitur, tuncque ejus subscriba sententiae. Deinde propositum suum defendere potest, quia antea contendit, laesionem in aliis animum laedendi producere. (Grundzüge des penit. Rechts. §. 7.)

Caute non addidi, actionem esse debere libera-
ram. Nam per se iam patet; actionibus enim
non liberis poena non est constituenda. Ex
praedictis vides etiam, omne delictum esse fa-
ctum illicitum, sed non omne factum illicitum
esse delictum.

S. 13

Delicta vel sunt *civilia*, vel *legibus politiae adversa*, vel *fiscalia*, vel *criminalia*. De ultimis solum loquendum est. Delictum *criminale*, quod *naturae* *excoxi* delictum seu *crimen nominarem*, continet facta per se iam *poena digna*, nisi ob levitatem inter delicta *politiae adversa* referuntur^(a). Magni igitur est momenti, quam ob rem etiam in *processu criminali*, quo tractatur, quam exactissime ad moralitatem respicitur^(b). *Delictum criminale* igitur est *actio contra leges poenales suscepta*, *quaes ratione moralitatis quam exactissime inquiritur*. Quaenam actiones ad *crimina* referuntur, hic exponendi non est locus.

Nil novi dico. Idem est, quod Kleinius in libro *Grundzüge des preußischen Rechts* §. 62. profert. Aliis solum usus sum verbis, circuli evitandi causa, quem jureconsulti in constituenda criminis notione saepissime fecerunt (c). Multi etiam ob
ni.

(a) Klein's Grundsätze des peinl. Rechts. §. 43.

(b) Klein l. c. §. 543

(c) Videas das peinliche Recht, nach den neuesten Grundsäcken behandelt. Offenbach 1783. Th. I. Kap. 1. §. 5.—

nimiam anxietatem falsam dederunt notionem.
 Qua de re si plura legere cupis, adeas **KLEIN-**
SCHRODIVM in libro systematische Entwicklung
 des peinlichen Rechtes. Th. I. §. 9. et seq.

§. 14.

Constitutis et conatus et delicti notionibus superest, ut dicamus, quid sit conatus delinquendi? Forsitan volitio delicti, ad quod conficiendum actus in hoc idonei commissi sunt, si haecce confectio non est peracta. (§. 2.) Videamus, an talio notio sit recta?

§. 15.

Iam dixi, conatum etiam sola in cogitatione consistere posse. (§. 3.) Idem de conatu delinquendi dicere me oportet. Ponamus nempe, Caium Titium, lucri faciendi causa, occidere velle, sed adhuc vacillare. Quod propositum ut firmum fiat, omnisque ab sit timor, totum per diem lucri magnitudinem et commodi ex eo provenientis cogitare vult. Talis cogitatio conatus delinquendi mihi videtur. Sed iureconsultus solum respicit ad ius, igiturque interna non curat. (adnot. ad §. 9.) Conatus delinquendi notionem iuridice

CON-

GE. IAC. FRIED. MEISTERI principia juris criminalis, Gottingae §. 1. — KOCHII institutiones juris criminalis, Editio nona. Jenae 1791. §. 12 et 72, aliquo-
que.

constituens, actionem esse externam addat, necesse est^(a).

§. 16.

Sed si etiam notioni prolatae adderem, actionem esse externam, non omnia dubia essent remota. Talis volitio nempe iam punienda est, ut infra (§. 27.) adhuc probabo, igiturque iam ipsa delicti essentialiam constituit. Quomodo nunc invenimus finem inter delictum ac conatum delinquendi? Verum est, omnem delinquendi conatum iam esse delictum consummatum. Sed nil refert. Conatus enim dicitur ob delictum certum, quod agens adhuc sibi proposuit, quodque nondum est consummatum. *Conatus delinquendi sensu iuridico, est igitur volitio delicti certi, ad quod conscientium actus externi in hoc idonei commissi sunt, quae consecratio autem nondum est perfecta.*

§. 17.

Omnia, quae §. 3. protuli, in memoriam revoces, a te peto, ut verum perspicias sensum. Deinde scias, actionis confectionem esse peractam, si effectus huius actionis essentialis adest. Unoquoque in delicto, quis sit effectus essentialis, quaeras, ut scias, an conatus delinquendi aut delictum adsit. Incendium qualificatum (*Mordbrand*) consummatum est,

si

(a) Quid leges hac de re dicunt, video apud KLEIN-SCHRODIVM l. c. Th. I. §. 35.

si animo occidendi flamas excitasti, etsi nemo est occisus, flammaque, ut aderat, statim est extincta; nam delicti huius effectus essentialis est flamma, quam quis animo occidendi excitat.

§. 18.

Sed ne erres, cautissime observes, quanam ex actione effectus oriatur? Ponamus, te animo occidendi Caium vulnerarē, vulnera vero haec non fuisse lethalia, sed casu ex inde ortam esse mortem. Tua actio igitur solum fuit vulneratio; occisio autem a casu producebatur. Consilium quidem ceperas, Caium occidendi, eum etiam hanc ob causam vulneraveras, attamen non homicidium sed conatum homicidii commisisti; tua ex actione enim non producebatur mors, effectus essentialis homicidii (a).

SECTIO SECUNDA.

DE VARIIS

**CONATVS DELINQVENDI
GENERICVS.**

§. 19.

Primum inquirendum est, an conatus delinquendi dividendus sit in culposum ac dolosum.

(a) Exempla habes in Novo Codice Borussico: Allgemeines Landrecht für die Preuß. Staaten. Th. II. Tit. 20. §. 816. 819. 827.

sum. *Culpa* est *neglectio usus rationis in committenda actione*. Qui usum rationis in committenda actione neglit, voluntate non utitur. (§. 2.) Quod qui facit, volitionem habere nequit. (eodem.) Deficiente volitione conatus non exsistit. (§. 3.) Nullus igitur conatus delinquendi culposus esse potest.

§. 20.

Transeo ad dolosum. *Dolus* (besser Vorfaß.) est *intentio, actionem committendi legi contrariam*. Omni in conatu delinquendi haecce intentio inesse debet; (§. 16.) omnis igitur conatus delinquendi est dolosus.

§. 21.

Dolus autem dividitur in *directum ac indirectum*; prout intentio est directa vel indirecta. Simili modo igitur conatus delinquendi est vel directe vel indirecte dolosus.

Me pauca de dolo indirecto dicere oportet, praescertim cum multa hac de re sint scripta.
NETTELBLADTII (a) intentionem indirectam defendere nequeo. Si enim § 9. cit. dissert. duce WOLFIO dicit: „volūcio ejus, propter quod „agens agit, *intentio* dicitur, eaque dividitur in „directam et indirectam. *Directam* dicunt, „qua id intenditur, propter quoad agens agit, in-

(a) NETTELBLADTII Dissert. de homicidio ex intentione indirecta commisso. Edit. terita, Halae 1772.

„directam vero, qua agens quidem per se non vult, quod ex actione sua sequitur, quod tamen „perinde, ac id, quod per se vult, ex eadem se- „qui potest;“ contradic̄tio inest manifesta. In intentione adest volitio; in voce indirecta autem deest: igiturque simul aliquid esse et non esse potest. Omnimodo tunc subscribo sententiae celeberrimi HOFFBAVERI, dicentis: die sogenann̄te indirecte Absicht ist gar keine Absicht, weil sie der Handelnde sich nicht vorgesetzt hatte (a). Accuratis- sime rem inquirens, quamnam in dolo inveniet differentiam, quae nullo modo est praetermittenda. Volitio enim, quae in dolo semper adesse debet, vel talis est, ut omnimodo aliquid velim, vel talis, ut aliquid quidem velim, sed solum in casu, quo res in actione mea contrarium non ad- mittunt. Qui ultimus casus magnopere differt a culpa; in hac enim nunquam adest volitio. (§. 19.) Quod quia adest, etiam nominare me oportet, quo, ne contradictionem admittam, tali procedo modo. Intentio in sensu latiori seu im- propriō, mihi videtur esse volitio ejus, quod ali quis ex actione tanquam possibile praevidet. Quae dividitur in directam vel indirectam. Intentio di- recta s. sensu proprio est volitio ejus, quod aliquis ex actione sua praevidet, ac omni modo vult. In- directa autem dicitur volitio ejus, quod aliquis ex actione praevidet ac solum in casu vult, quo res in agendo contrarium non admittunt. Vides, me

aliam

(a) Hoffbauer's Naturrecht. Anmerk. ad §. 159.

aliam constituisse intentionis in sensu proprio notionem. Quod si mihi permittere non vis, aliam mihi dicas vocem. De verbis enim non sit certamen. Res adest, quam reprobare nequis. Plura hac de re si legere cupis, aedes KLEINSCHRODIVM in libro systematische Entwicklung, Th. I. § 18. et seq. ac scriptores ab eo allegatos. Ibi etiam invenies, quid leges hac de re dicant.

§. 22.

Ratione gradus, quo conatus a delicto consummato distat, dividitur in *remotum*, *propiorem* ac *proximum*. *Remotus* dicitur, si agens solum in praeparatione ad delictum committendum versatur. *Propior*, si actionem ipsam, qua delictum committitur, iam incoepit. *Proximus*, si hacce in actione usque ad ultimam partem est progressus^(a). Alii DD conatus gradus alio dividunt modo, nempe in delictum attentatum ac inchoatum, *Delictum attentatum* iis est, quod remotum appellavi conatum. *Inchoatum* autem conatum *propiorem* ac *proximum* complectitur^(b).

§. 23.

Sed adhuc quaedam adsunt, quae addere persuasus sum. Potest enim fieri, agentem actionem suam omnimodo perfecisse, casum autem

(a) Kleinschrod's systematische Einleitung. Th. I. §. 38.

(b) Kleins Grundsäze des peinl. Rechtes. §. 145.

tem effectum impediisse (a). Talem conatum celeberrimus *Kleinius delictum perfectum* (ges enderet Verbrennen) nominat (b). Nil autem est, cur aliam eligerem vocem?

§. 24.

Sed differt adhuc casus, quo aliquis omnem, quam potuit, operam adhibuit, actionem perficiendi causa, quo etiam ultimam ad hoc necessariam actionem commisit, casus autem perfectionem eius impedivit. Ponamus, Titium animo occidendi telum ignivomum in Lucium non solum dirigere, sed iam mittere, telum autem eius exspagationem fallere. Talem conatum *delictum casu non perfectum* appellarem.

§. 25.

Quam maxime ab antedictis differt, si quidem ex actione tua effectus ille non produxit, casus autem, qui tunc accessit actioni, huncce produxit effectum (§. 18.) Actionem talem *delictum perfectum casu consummatum* nominarem.

§. 26.

Conatus delinquendi gradus usque ad delictum consummatum tales igitur essent:

I.

(a) Allgem. Landr. für die Preuß. Staaten. Th. II, Tit. 20.

§. 817. 828. 1192.

(b) Klein I. c. §. 145.

- I. Delictum attentatum, s. conatus remotus.
(§. 22.)
- II. Delictum inchoatum, quodque dividitur
in conatum propiorem ac proximum. (eod.)
- III. Delictum casu non perfectum. (§. 24.)
- IV. Delictum perfectum. (§. 23.)
- V. Delictum perfectum et casu consumma-
tum. (§. 25.)
- VI. Delictum consummatum.
- Ab omnibus his autem secernas adhuc co-
natum, qui non successit. (§. 5.)

SECTIO TERTIA.
CONATVS DELINQVENDI,
AN ET QVOMODO
SIT PVNIE NDVS?

§. 27.

Quaestioni, an conatus delinqnendi sit
puniendus? respondens ad causam juris puni-
endi respiciat necesse est. Alia est in iure
naturali, alia in positivo. In illo enim veri-
similitudo, laudentem laesionem reiteraturum
esse, ius puniendi probat. In hoc lex, quae
cum consensu omnium est condita, quaque
lae-

laedenti malum minatur, originem producit poenae. Ambobus in casibus autem ex eadem ratione, qua delictum consummatum punitur, conatus delinquendi est puniendus. Nam quod ad ius naturae attinet, eadem verisimilitudo, quae ex delicto prodit, e conatu delinquendi originem dicit. Quod quidem aliter esset, si agens, poenitentia ductus, a perpetratione facti abstinuisse, de quo infra (§. 36.) pluribus agam. In iure positivo plane nullum adest dubium. Securitas maior, quam leges positive producere vellent, non existeret, cesseante in conatu delinquendi poena (a).

§. 28.

Difficilior autem est responsio ad quaestionem, quomodo conatus delinquendi sit puniendus? Quod ut possimus, oportet, nos primum de eo loqui, quaenam mensura in poena sit adhibenda?

§. 29.

Poena in iure et naturali et positivo laesionem futuram averttere debet. Quae laesio non fieret, nisi sensualitas agentis rationem opprimeret. Quam sensualitatem, ut in posterum non talis fiat, opprimendi est poenae finis. Tale igitur malum continere debet, quale necessarium est, ad huncce obtainendum finem.

§. 30.

(a) Vid. Kleinschrod l.c. Th. I. § 35.

In omnibus laesioribus, ut primum menti repraesentatur, poena aequalis esset adhibenda. In omnibus enim contra ius egimus ac aequali modo per sensualitatem rationem oppressius. Sed quamquam verum est, nos omne ius alterius et vitae et dominii aequali modo aestimare debere, ne tamen ad animum hominum respicere oportet. Omnia alterius iura homo aequali modo non contemplatur. Maius ei videtur ius vitae, quam dominii, maior itaque sensualitatis vis requiritur; ut vitam, quam ut dominium alterius laedat, et periculosior videatur, qui ius vitae alterius laedit, quam qui impetum in dominium facit. Nam si reiterationem laesioris majoris metuimus, maiori cum iure adhuc ab eo laesiorum minorem exspectare possumus. Plures igitur laesiones sunt metuendae. Prout itaque bona hominis aestimantur, poena etiam in laesione eorum esset determinanda. Quae aestimatio autem non diadicanda est secundum indolem laudentis singularem, sed secundum mores omnium. Pessimus homo forsitan honorem ac vitam non magni aestimat. Sed nil refert, eodem modo periculum minatur, quam qui valorem honoris aut vitae cognoscit, ac nihilominus eam laedit. Alia esset res, si ex inscitia falsam haberet cognitionem.

Ius

Ius talionis, quod summus Philosophorum (a) proponit, statim approbarem, si omni in casu possibile mihi videretur. Quoad possibile esset, huncce sequerer modum.

§. 31.

Modo puniendi breviter exposito ad respon-
sionem quaestionis, quomodo conatus delin-
quendi sit puniendus? propinor. Sed ius na-
turae a iure positivo secernere me oportet.

§. 32.

Primum quaerendum est, an conatus de-
linquendi aequali modo, quam delictum con-
summatum, puniendus sit? Quoad ius natu-
rale, diversas conatus species distinguerem.
Delictum casu non perfectum, (§. 24.) deli-
ctum perfectum, (§. 25.) denique delictum
perfectum et casu consummatum (§. 25.) eo-
dem punire modo, quam delictum consum-
matum. Delinquens enim in iis ultimam acti-
onem, ad delicti existentiam necessariam, iam
comisit; nil igitur est, cur reiteratio talis
delicti minus esset verisimilis. Eadem igitur
afficiendus est poena. Alia autem mihi vide-
tur res in delicto attentato ac inchoato. Lae-
dens, si usque ad finem actionis venisset, ab
ea forsitan poenitentia ductus abstinuisse. Sae-
pis-

(a) Kant's metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre.
Königsberg 1797. pag. 198.

pissime enim habemus exempla, quibus hocce est factum. Multo diversum enim est, delictum sibi proponere, praeparationem facere, ac ipsum executionis actum committere. Omne nunc puniendi ius naturale in verisimilitudine est positum, (adnot. ad §. 11.) hocque casu autem verisimilitudo contraria eam minuit, igiturque laesio minor metuenda est, quam ob rem poena minor est applicanda, eademque minor adhuc in attentato, quam in inchoato delicto.

§. 33.

Longe alia autem res videtur in republica. Poena in ea non solum ob laudentem, sed ob omnes in republica viventes applicatur. Quodammodo igitur ad damnum respiciendum est, praecipue autem ad sensum, quem actio in omnibus producit. Duabus in actionibus, quae aequali modo possunt imputari, quae maximum produxit damnum, periculosior ac poena dignior videtur. Quilibet ex populo hominem, qui actionem suam perfecit, sed actionis finem non obtinuit, non tam poena dignum putat, quam qui actionem ipsam usque ad finem produxit. Malum minus igitur ab tali actioneстеррди causa sufficit. Nunquam igitur in iure positivo crimen perfectum tali modo punirem, quam in crimine consummato fit^(a).

§. 34.

(a) Vide etiam Allgem. Landr. für die Preuß. Staaten. Th. II. Tit. 20. §. 39-40.

§. 54.

Delicta ratione agentis perfecta autem diversa sunt. Habemus delictum casu non perfectum, delictum perfectum, denique perfectum et casu consummatum. An in iis quaedam poenae distinctio est admittenda? Quod crederem. Quamquam enim in primo solum casus perfectionem impedit, tamen credo, talem actionem unicuique non tam malam videri, quam peractam. Secundum sensum autem, quem actio in omnibus producit, poena est determinanda. (§. 33.) Minor igitur poena delictum casu non perfectum afficiendum esset, quam delictum perfectum. Ex eadem causa etiam delictum perfectum casu consummatum maiori punirem modo, qnam delictum perfectum (^a). Nec ultimo in casu contra delinquentem iniuste agimus. Quamquam enim casus solus delictum suum maius fecit, per hoc tamen factum est, actionem eius ab omnibus peiorem iudicari, quam ob rem poena adhibetur maior. Quam ob maiorem poenam autem delinquens queri nequit; quis delinquens enim certam poenae mensuram iure postulare potest?

§. 35.

Ex antedictis etiam patet, delictum inchoatum ac attentatum minori adhuc poena esse
af.

(a) Vide 20th gen. Ländr. I. c. §. 827, 828.

afficiendum, quam delictum ratione agentis perfectum (a). Prout enim actio a consummatione delicti distat, prout minus aut maius producit damnum, poena minus aut plus digna videtur.

Quid leges positivae hac de re dixerunt, inquirere meum non est, cum ad magnam huius materiae explanationem spatium deficiat, quod autem breviter dicere possem, alii iam praeclaro fecerint modo (b).

§. 36.

Superest, ut adhuc quaeramus, an conatus delinquendi, quo quis poenitentia ductus ab actionis perpetratione abstinuisse, puniendus sit? Quod negarem. Iure in naturali enim, quo verisimilitudo reiterationis poenam necessariam facit, haecce verisimilitudo cessat. Poenitentia eius clare demonstrat, sensualitatem eius rationem omnimodo opprimere non posse: in posterum igitur malum non erit metuendum. In iure positivo, si ad laudentem respicis, idem dico. In alios autem respiciens etiam credo, impunitatem talis actionis damnum producere non posse. Lex poenalis datur, laesiones opprimendi causa. Alii, si vident, talem hominem esse impunem, hanc ob causam non invitantur, sensualitatem non op-

(a) Vid. Allgem. Lantbr. l. c. §. 40-42.

(b) Kleinschrod l. c. Th. I. §. 39. et seq.

opprimere. Nam quis sibi delictum proponeret,
a quo poenitentia ductus abstinere vellet. Alio-
quin autem impunitatem sperare nequit (a).

Credo etiam, art. 178 C. C. C. expresse
solum loqui de conatu, quo quis ex aliis cau-
sis, non poenitentia ductus, ab actione abstinere
debet. Verba und doch an volnbringung derselben
missethatt durch andre mittel, wider seinen willen ver-
hindert würde, mihi non enunciativa sed disposi-
tiva videntur.

Praeclaro modo ius Borussicum (Allgem.
Landr. I. c. §. 43) dicit. Wer aus eigner Bewe-
gung von der Ausführung des Verbrechens abstieht,
und dabei solche Anstalten trifft, daß die gesetzwi-
drige Wirkung gar nicht erfolgen kann, kann auf
Begnadigung Anspruch machen.

(a) Dissentit Kleinschrodius. I. c. Th. I. §. 47.

Halle, Disc, 1795/1800



Sl.

vel 18

DISSE^TRAT^O IVRIDICA
DE 1799 I
CONATV DELINQVENDI.

DE

1799

O V A M

A V C T O R I T A T E

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

A D O B T I N E N D V M

D O C T O R I S G R A D V M

DIE VIII MAII MDCCXCI

PUBLIC DEFENDER

A V C T O R

A V G V S T V S G V I L I E L M V S

HEIDEMANN,

STARGARDIA - POMMERANVS.

HALAE,

TYPI S. L. C. H E N D E L I A N I S.

